

licet Albonensia illa et figlinas quasdam Capodistrianas; denique titulos Capodistrianos duos ipse excogitavit homo levissimus et nugator.

V. Rich. POCOCKE in inscriptionum antiquarum Graecarum et Latinarum libro edito (Londini 1752 fol.) Histrica quoque habet imperite descripta, sed non neglegenda. Schedae autem eiusdem Londinenses ad has partes non perveniunt.

VI. Ioh. Rinaldus CARLI *delle Antichità Italiane*, Mediolani 4. P. I. (1788) pp. 250. P. II (1788) pp. 366. P. III (1789) pp. 306. P. IV (1790) pp. 316. App. 1791 pp. 282. Usurpavi praeterea ed. 2 (Mediolani 1793—1798. 4. voll. 4), cum dicatur aucta; ubi ordo quidem mutatus est, sed quae addidit vel emendavit paucissima sunt. Item vidi eiusdem operis recensionem primam, quae imperfecta remansit nec prodiit: *delle antichità Romane dell' Istria libro primo* (4. pp. 90; extat Venetiis in bibl. Marciana) et eiusdem Carli *relazione delle scoperte fatte nell' anfiteatro di Pola nel mese di Giugno 1750* (Venetiis 1750. 4. pp. XXX); sed horum librorum neuter habet inscriptiones. — Magna industria undecunque inscriptionum Histricarum exempla sibi paravit; habuit ex antiquis codicem Tomitanum, quo continetur sylloge Tergestini Antiqui, item Prosperi Petronii schedas et Lavezzarianas, de quibus egi in Polensibus; praeterea aequales plura ei suppeditaverunt, maxime Negri episcopus Parentinus, Ang. Maria Cortenovis, Hieronymus Gravisi; denique quaedam licet pauca ipse vidit. In tanta auctorum multitudine et diversitate non facile est copiis eius recte uti, quamquam auctorem plerumque nominat. Ipsum optima fide officio functum esse mihi constitit nec spernenda diligentia, cum saepe titulos proponat etiam ligno incisos; sed praeter Petronianas fraudes Gravisianae quoque vel si mavis Asquinianae, de quibus agemus in Aquileiensibus, ad eum pervenerunt, quamquam unum tantum titulum n. 11* apud Carlium reperi inde derivatum.

VII. Circa a. 1820 et deinceps iussu STEINBUECHELII praefecti eo tempore museo Vindobonensi ut in aliis provinciis regni Austriaci ita per Histriam quoque lapides descripti sunt et exempla missa Vindobonam, quae ibi excussi servata in nummophylacio. Inde pendent quae edidit idem in ephemeride *Anzeigebblatt* adiuncta annalibus Vindobonensibus (*Wiener Jahrbücher*).

VIII. Petrus KANDLER epigraphiae Histricae per annos fere triginta curator quantopere his litteris profuerit et museo Tergestino instituto et itineribus susceptis per Histriae partes plerasque et amicis ad similes curas hortandis suoque exemplo instituendis et quae repperisset statim cum cura edendis nemo ignorat nisi harum nostrarum rerum plane imperitus. Praeter ea autem, quae ad singula oppida laudavi, ad universam Histriam pertinent maxime Kandleri scripta duo, ephemeris *l'Istria*, quae per septem annos 1846—1852 prodiit Tergeste (4.) et sylloge quam dico inscripta sic: *inscrizioni dei tempi Romani rinvenute nell' Istria* (Tergeste 1855. 4. pp. 76) cum appendice edita a. 1862 (paginae numerantur denuo 61—76); partem facit libri qui inscribitur *indicazioni per riconoscere le cose storiche del Litorale*. Hanc intellego, ubi cito Kandlerum libro non enuntiato. Ego praeterea beneficio editoris adhibere potui schedas eius et omnis generis collectanea et supplementa scripta magno cum fructu. Neque enim tacendum est scripta exempla Kandleri plerumque praeferenda esse editis, denique ubi saepius titulum edidit, priora exempla praestare fere posterioribus, maxime propterea quod supplementa et emendationes ex coniectura factas passim tacite recepit; auctores quoque non raro tacet vel falsos adscribit errore. Nec vereor optimi amici senisque venerabilis beneficio abuti ingenue profitendo saepe me ab eo male informato appellare ad ipsum in schedis meliora docentem.

IX. Ipse Histriam peragravi a. 1857, denuo adii a. 1862 paucos dies ibi moratus, tertium a. 1866.

I. NESACTIVM? — *Barbana. Momorano. Altura.*

Inter Arsiam, quae finit Italiam, et Polam in ora tam Plinius (III, 19, 129. 21, 140) quam Ptolemaeus (3, 1, 27) collocant oppidum Nesactium (sic Plinius; *Nesatium* Ravennas 5, 14 cf. 4, 31; *Νέσακτιον* Ptole-

maeus; idem nomen solet substitui in loco corrupto Livii 41, 11, cum codex ibi habeat *oppidum et mattius*). Nesactium eodem loco habet etiam tabula Peutingerana, scilicet suppleta ex assecla Ravennate (l. c.), ubi sic est:

<i>Peutingerana:</i>		<i>Ravennas:</i>
Pola		Pola
VI		
. . . (domus appicta est, nomen excidit)		Nesatium
VIII		
Arsia		Arsia
XII		
Alvona		Albona.

Unde, quamquam etiam numeri mendosi videntur esse, tamen certo efficitur Nesactium fuisse medium fere inter Polam et Arsiae fluvii ostia, ibi fere ubi nunc sunt vici Altura et Cavrano. Inscriptiones tamen,

quae ex illis partibus prodierunt, scilicet ex vicis Barbana Momorano Altura, et paucissimae sunt nec rei publicae quae ibi fuerit indicium certum praebent.

1 Barbanae rep. 1799 in aedibus Cleva, extat in porticu publica.
L · CAESIVS · L · L
GLAPHYRVS · V · F
S · ET · CAESIAE · L · L
GRA//A//
Stancovich *anf. di Pola* tab. 6 n. 13 p. 105 (inde Kandler n. 314).
2 GLAPHYRVS traditur.

2 Momorani in ecclesia.
DOMINO ET DEO
DEORVM
SACR
Kandler 1862 n. 687, cui dedit Luciani, suspectam iudicans propter argumentum. Fortasse similis fuit tituli vol. 3 n. 720: *diis genitis et deorum creatoribus dd. nn. Diocletiano et [Maximiano]*.

3 Momorani.
D · M
LAECANI...
LIO · F
C · LAECANI...
5 SEVERVS
V · D
BIS/M/
Kandler 1862 n. 714 a Luciano.

4 Alturae BARSAN KANDLER; inter Polenses UTIN.
C · FVRIVS · C · F
ARN · GEMELLVS
MIL · COH · III · PR
T · F · I
Utin. p. 12 (inde, scilicet a Gravisio Carli 3 p. XXXIV); Kandler in sched. et n. 238; Barsan ms.
1 c. i Utin.

5 Alturae in agro Polensi.
PIA · O
IS · V · F · I · SIBI
ORRA CON
IO RVF
5 I HEVREI
AE · SPHRAG
E · MODESTO
PIRA CON
B
Kandler ms. et n. 308.